



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Eloquentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## PROLIFICA SALUBRITAS. CAP. XXXVIII.

**I**dem Ægyptii facer dotes si prolificum hominem, & petulantia intemperantius deditum significare vellent, Passerem pingebant *περσινν*, fulvum quippe, & aris instar rubicundum: non autem pyrgetem, quod nonnulli turriculam interpretati sunt, cum exemplaria Hori manuscripta *περσινν* hinc illud, legendum indicent. Passer enim titillatione immodica, & feminis ubertate concitatus, vel septies una hora feminam salit, nunquam egens genitura. Ejusmodi porro salacitatis observatio efficit, ut ad languescentem Venerem excitandam Passeres in cibo, vel eorum ova Medici propinarent, ideoque eos Veneris currum trahere mythologi confinxerunt. Jam & Therficles ait Passerum esitationem rem Veneream plurimum adjuvare.

*Figura & pictura passeris.*  
*Hinc illud, passere salacior.*

## SIRENES. CAP. XXXIX.

**Q**uin & Sirenas, quæ suavitate cantus & mollibus quibusdam illecebris, illectos homines apud se ad mortem usque feruntur detinuisse, Passeris effigiem a pectore supra, femineam vero infra habuisse, tradunt quædam Græcorum fabulæ, ut in Suidæ Collectaneis habetur: quamvis aliis aves eas femineam tantum facie fuisse prodiderint. Has vero Veneris illicium significare usitatissimo hieroglyphico, negat nemo.

*Isacius.*  
*Theopompus in Calleschæo, & Ovid. lib. 3. der art. a. man.*

## PETULANTIA PERNICIOSA. CAP. XL.

**A**ddunt & perniciem, quæ subsequitur ex nequitia, per Sirenis imaginem significari: eoque tradunt nautas illos apud Homerum cantilenis illectos, exitii sibi causam comparasse. Sapientissimumque ideo Ulysses fingunt, quod sociorum auribus cera oblitis, pereundi periculum sustulerit, sibiq; averit, ne illi quicquam, quod imperaret, aut nutu significaret, facerent, ad malum se vinculis alligari passus, neque prius dissolvi, quam in tuta, superato periculo, evasissent.

*Homer. lib. u. Odyss.*

## ELOQUENTIA. CAP. XLI.

**S**apientiores tamen, Sirenas pro hieroglyphico eloquentiæ, felicissimaque persuadendi vi potuerunt, unde dictum illud de Catone Grammatico:

*Cato Grammaticus, Latina Siren.*

Et Apollonius Tyaneus apud Philostratum, in Apollinis templo suspensas etiam aureas Sirenum illecebras memorat, in hujusmodi significatum. Atque, ut ad Passerem revertatur, divinæ etiam litteræ alitis hujus hieroglyphicum nonnunquam pro anima ponunt, quæ voluptatibus & sensui dedita facile seducatur, nequitiaque laqueis identidem irretiatur: unde Psalmographus ille fatidicus plurimum exultat Psalm. 124. *animam suam ereptam esse, veluti Passerem, de venantium laqueis.*

*Stc Philostratus in Isocrate, Sirenem venem bo. Et var. Passer pro anima.*

Psalm. 84. *Invenit sibi Passer domum, qui scilicet prius erat erraticus & vagabundus, modo his, modo illis illecebris avocatus. At ubi sacras cepit ædes frequentare, incolereque, domum est sibi visus invenisse.*